



8880
1769,39.
14
EXERCITATIO IVRIDICA
QVAESTIONEM CONTINENS
13

*Vtrum debitori, quem minor
ob viliorem tutori solutam monetam
conuenit, contra tutorem competit
regressus.*

Q V A M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
P R A E S I D E

D. FRIED. GOTTLIEB ZOLLERO

COD. P. P. ECCLES. CATHEDR. MARTISB. CAPITVL.
CVRIAIE IN PROVINCIA SVPREMAE IVDIC. LVSAT.
INFERIOR. NEC NON FACVLT. IVDID. ASSESS.
ET ACADEM. DECEMV.

IN AUDITORIO ICTORVM

D. XXI. OCT. MDCCCLXIX.

P V B L I C E D E F E N D E T

IVLIUS GOTTLLOB GVTWASSER
DRESDENSI.

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A

EXERCITATIO IURIDICA

CAVILLATIONE CONTINENS

LXXXVII. QEPIDICIS, DICENDIS MUNICI

de difficultate, scilicet, legem monitum
comparando, sicut etiam in comparatione

legibus

LIQUATRIS, IECOLOM, ORDINE, AUTORITATE
PRAESENTIA, DEDICATA.

D. TIBRD. GOTTFRED. SONETRI

CO. A. L. TIBRD. GÖTTFRED. SONETRI
TOMVS. IV. TIBRD. GÖTTFRED. SONETRI
INTERIOR. ET EXTERIOR. V. TIBRD. GÖTTFRED. SONETRI
TIBRD. GÖTTFRED. SONETRI

AN. A. D. 1704. I. OCTOBRI.

IN. TIBRD. GÖTTFRED. SONETRI
TIBRD. GÖTTFRED. SONETRI

TIBRD. GÖTTFRED. SONETRI
TIBRD. GÖTTFRED. SONETRI

ED. TIBRD. GÖTTFRED. SONETRI

ED. TIBRD. GÖTTFRED. SONETRI

ED. TIBRD. GÖTTFRED. SONETRI




§. I.

I n omni negorio potissimum ad mentem contrahentium esse respiciendum, et exinde interpretationem faciendam, nemo facile in dubium vocabit. Semper enim ait VLPIANVS l. 34 ff. de Reg. Iur. in stipulationibus et in caeteris contractibus id sequimur quod actum est. Et si de animo et voluntate contrahentium non satis constat; in dubio contrahentes ad iuris communis dispositionem se conformasse vindentur l. 5. C. de legib. l. 24. §. 1. ff. locat. CARPZ. P. III. Conf. XXIX. def. 16. n. 9. et 10. Exinde fit ut interpretationem interdum contra venditorem l. 39. ff. ole. Paet. interdum contra emtorem. WERNHER P. V. observ. 249. suscipiamus qui si a regulis iuris communis recede-

A 2

re



re voluisset, clarius loqui debuisset. Ita etiam in loca-
tione quae proxime accedit venditioni et *l. 2 ff. locat.* iis-
dem regulis iuris consistit, idem observamus. Quam-
vis enim conductor onera et tributa in genere suscep-
rit, id tamen rantum de ordinariis, non vero extraor-
dinariis, nisi de his in specie cogitaverunt partes, intel-
ligimus, quia in communi actu et negotio ea valet inter-
pretatio, quae efficit, ut quis sibi minus praeiudicet.
WERNHER P. II. obseru. 405. n. 4.

§. II.

Simile quoque fertur iudicium circa nummos,
quorum restitutionem creditor a debitore exigit. *Quod*
si enim tempore belli, quo viliores nummi erant in
vſu, negotium celebratum, debitorem ad meliores re-
ſtituendas monetas, non condemnamus, niſi lex con-
ventionis aliud desideret. Posteriora verba dum addi-
di, movetur dubium, vtrum pactum quo debitor melio-
res nummos quam a creditore accepit, promittit, va-
leat. Distinguendum est inter emtionem venditionem
et contractum mutui. *Quod* ad priorem attinet, af-
firmativa valet sententia. Dependet enim ex arbitrio
partium, in quo genere monetarum pretium rei vendi-
dirae sit solvendum. Nec emtor qui sponte ſe obligat
de iniuria, niſi laſio ultra dimidiū contingat, agere
potest, cum regula iuris, volenti non fit iniuria ipſi, si
damnum ſentiret, obſtet. Negatiua ſententia vero in
mutuo


mutuo habet locum. Huius etenim substantiale in eo consistit, ut sors accepta in eodem genere, hoc est, in eadem qualitate et quantitate restituatur. Pactum vero quo debitor ad meliores nummos se obligat, repugnat naturae mutui, quae non patitur, ut plus petatur quam datum, et per consequens in obligatione fuit.

§. III.

Confirmat hanc sententiam Pontifex c. 26. X. de censib. Non posse inquit, debitorem cogi, ut meliorem monetam soluat, quam quae ab initio fuit constituta. Huic iudicio accedit Imperator l. 9. C. de non numer. pec. Nihil ultra hoc quod acceperisti, sortis a te nomine, Praeses prouinciae exigi patietur. Cuius rei ratio potissimum haec est, quod creditor qui tale sibi stipulatur lucrum, usurariam committat prauitatem, quae nulla toleratur lege, sed potius graviori poena coeretur. conf. Mand. El. d. a. 1625 tit. vom wucherlichen Contracten. CARPZ. lib. V. Resp. 9.

§. IV.

Quemadmodum vero creditor, nisi aequitas vel legis dispositio aliud suadeant, meliores nummos sibi stipulari potest, ita etiam viliorum monetarum, ut accipiat ex eius arbitrio dependet, cum culibet sit licitum iuri pro se introducto renunciare, et ab eodem recedere. Hac ex causa sit, ut inanem actionem pronunciemus quam creditor contra debitorem, qui leuiori mon-



neta solutionem praetitit, nisi creditor interposita protestatione eandem receperit, sibique restitutionem damni reseruauerit, instituit. Soluto enim debito penitus extincta est obligatio, et debtor, qui promisso suo satisfecit, exceptione solutionis fundamentum agendi, elidit.

§. V.

Quae cum ita sint obvenit quaestio, quae dubiam reddit decisionem; Titius Caio debet summam mille thalerorum, huius solutionem tutor in viliori moneta a Titio sponte recipit, eidemque chirographum, ex quo veritas fortis pariter quam numarorum apparebat, reddit. Adepta maiorenitate Caius laesione sentit, et hac ex causa debitorem conuenit, ut damnum, quod ex solutione vilioris monetae percipit, ipsi restituat. Caius quem Iudex secundum actoris petitum condemnat, contra tutorem cui solutio facta, agit, et ut ipsum contra Titium defendat et indemnem praefest, postulat. Vtrum cum effectu haec actio institui possit, in praesenti videamus.

§. VI.

Quod minori contra debitorem ad supplendum id, quod iusto monetae valori deest, adhuc competit aetio, nemo facile inficias ibit. Negandum equidem non est, tutorem siue curatorem legitime constitutum tanta gaudere potestate, ut ex contractu vi officii celebrato


7

94

brato obligatum reddat pupillum et minorem; hinc *l. 1.*
C. Quando ex facto tutoris adepta maiorenitate contra
minorem, cuius curatores condemnati sunt, *actio iu-*
dicati locum habet. Cum enim tutor nomine pupilli
inque eius commodum contraxerit, aequitatis ratio
suadet eum vicissim teneri et ex facto tutoris reddi obliga-
tum, qua propter recte dicimus factum tutoris esse fa-
ctum pupilli, et contra ipsum dari actionem, conf.
M E N K. ad Pand. lib. XXVI. Tit. IV. §. 2. C A R P Z.
lib. V. Resp. 78. n. 1. seq. Ast illud tantum habet locum
in negotiis, ex quo nulla ad pupillum vel minorem re-
dundat laesio. Quotiescumque vero haec contingit, fa-
ctum curatoris non stringit minorem, sed is beneficio
restitutionis in integrum vti, et negotium impugnare
potest. Quamuis enim *l. 44. ff. de Minor.* non omnia
negotia, quae minores annis viginti quinque gerunt,
irrita sint, ea tamen in quibus ab aliis circumventi vel
sua facilitate decepti, aut quod habuerunt amiserunt,
aut quod adquirere emolumentum potuerunt, omiserunt
aut se onere, quod non suscipere licuit obligauerunt, rescin-
duntur. Hac ex causa cum et hodie *l. 7. §. 8. ff. d. 4.*
minoribus in lucro succurratur usurae a tute remissae,
a debitore adhuc peti possunt.

§. VII.

Sed quatenus est quaestio respectu actionis, quam
debitor contra tutorem mouet, anceps est decisio. Non
defi-



deficiunt, qui inanem hanc vocant actionem et tuto-
rem ab omni obligatione liberant. Argumenta quae
illorum sententiae adsistunt forsan et ea esse possunt.
Praesumtio militat pro tute, quod ad eam tantum
summam, quam debitor soluit, eundem liberauerit,
Ad officium enim tutoris spectat, ut bonum patrem fa-
miliaris imitetur, eius vero cura in eo consistit, ut sibi
non inferri patiatur praeiudicium. Ast quis negare pot-
est, graue esse damnum, si creditor sortem in nummis vilio-
ribus, quam ex soluit, recipit. Cum igitur neminem suum
iaetare velle existimemus, et tutor in re aliena eandem praec-
stare teneatur diligentiam, quam rebus suis adhibet, deduci-
tur exinde conclusio, tutorem nihil remississe debitori, sed
potius summam solutam salvo suo iure accepisse, praes-
sertim si in considerationem vocare velimus, omnem
actum singulare praeiudicium inuoluentem, specialem
renunciationem desiderare.

§. VIII.

Accedit et illud, quod debitor qui solutionem
praestitit, versetur in culpa: Optime enim sciebat, mi-
nori restitutionem in eo monetarum genere quae tem-
pore contractus valebant, fieri debere, quia mutuum,
restitutionem sortis in eiusdem qualitate et quantitate
desiderat. Ipsi non poterat esse incognitum, laesionem
sentire minorem, si restitutio summae debitae in viliori-
bus continget nummis, et ob beneficium restitutio-
nis

94

nis in integrum ex hac causa competens, tutorem cum effectu liberationem obligationis praestare non posse. Cum itaque debitor negotium, quod ex praemissis imperfectum dici poterat, celebrauerit, ex eo vero non detur actio, quomodo tutorem conuenire possit, haud adaequata videtur ratio; praesertim si in considerationem vocare velimus, eundem ex actione quam mouet minor, non sentire damnum. Is enim quem defendit restitutio, id repetit quod suum erat, et debitor supplet tantum illud, quod summae quam debebat, desicit.

§. IX.

Sed quamvis haec argumenta speciem veritatis prae se ferre videantur, et in pronunciando obseruari soleant, nondum tamen me ita conuincunt, ut a contraria penitus recedam sententia. Potissimum cum maiora sint argumenta, quae debitori hac in causa adstringunt. Negotium nempe cum tutore initum non est imperfectum, sed pro perfecto habetur. Quod si enim prius defendis, non opus esset, ut minor prouocet ad beneficium restitutionis in integrum, pactum enim ipso iure quod est nullum, tale haud desiderat, cum Praetor tantum in subsidium succurrat laeso, et in casu, quando remedium ordinarium locum habet, extraordinarium cesset. Debitor itaque valide cum tutore contraxit, is vero intulit minori damnum et debitorem qui verbis dabat fidem ad con-

B

trahen-



trahendum sua auctoritate induxit. Liberationem ab obligatione dum recipiebat sortem et reddebat chirographum, promittebat debitori, ut promissum habeat effectum regulae aequitatis exigunt. Penitus vero deficeret effectus, nisi tutor ad indemnitudinem praestandam adigi a debitore posset.

§. X.

Accedit et illud; in arbitrio nempe minoris est positum, vtrum beneficio restitutionis vti, vel tutorem principaliter conuenire velit. Posterius si eligit, nullum est dubium, tutorem ad resarcendum damnum teneri. Obligatus itaque semper est tutor, qui culpam in exigenda commisit forte, haec obligatio restitutio-
nem eius quod bonitate monetarum deficit, inuoluit. Minor qui indulget tutori, et actionem competentem negligit, agit vere in fraudem et praeiudicium debito-
ris, quem tutor sua auctoritate ab obligatione libera-
bat. Cum igitur tutor dedamno resarciendo teneatur,
nihil interest, vtrum illud minori, vel debitori cum
quo contraxit, praeftet. Sufficit enim culpam eius
inuolure obligationem, et factum minoris iniquo mo-
do suscepsum non praeiudicare potest debitori, quem
praeiunctio bonae fidei defendit.

§. XI.

Vltimum quod sententiae adfistere poterit, in eo
consistit: Omnia scilicet pacta, quae neque legibus,
nec

nec aequitati, nec bonis moribus repugnant, pro validis habenda esse, adserit Praetor l. 7. §. 6. ff. de pactis
Pactum vero quod tutor cum debitore contraxit eiusdem esse conditionis, nullum moueri potest dubium.
Quodsi enim tutor conuenire debitorem, et ab eodem supplementum exigere vellet, exceptio solutionis et liberationis à reo opposita id efficeret, ut actor a limine iudicii esset repeilendus, ratione addita, quoniam tutor contra proprium factum agere, illudque impugnare, non valet. Ast si conuentionem leges improbarent, exceptio omni effectu careret, cum solutio illegitimo modo facta, liberationem non producat. Praesuppositis itaque his liquido constat, tutorem ex facto suo obligatum teneri debitori. Effectus vero obligationis est ille, ut promisum impletat, et fidem conventione datam, non fallat. Liberationem hac ex causa quam reddendo chirographo promittebat debitori, praestare tenetur, quod si non fecerit, iure adigi, et actione quam perfectum pactum debitori suppeditat, ad indemnitatem praestandam cogi potest.



ULB Halle

004 053 532

3



88





8880
1769, 29.
14
EXERCITATIO IVRIDICA
QVAESTIONEM CONTINENS

*Vtrum debitori, quem minor
ob vilorem tutori solutam monetam
conuenit, contra tutorem competit
regressus.*

Q V A M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
P R A E S I D E

D. FRIED. GOTTLIEB ZOLLERO

COD. P. P. ECCLES. CATHEDR. MARTISB. CAPITVL.

CVRIA IN PROVINCIA SVPREMAE IVDIC. LVSAT.

INFERIOR. NEC NON FACVLT. IVRID. ASSESS.

ET ACADEM. DECEMV.

I N A V D I T O R I O I C T O R V M

D. XXL. OCT. MDCCCLXIX.

P V B L I C E D E F E N D E T

IVLIUS GOTTLLOB GVTWASSER

DRESDENSI S.

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A

